



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

XIV. De dissensione, quae superepiscoporum diiudicatione contingit,  
appellantium prouinciales antistites.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

XII.

Si quis a proprio episcopo presbyter aut diaconus, aut a Synodo fuerit episcopus forte damnatus, & imperatoris auribus molestus extiterit, oporteat ad maius episcoporum conuerti Concilium, & quæ putauerint habere iusta, plurimis episcopis suggerant, eorumque discussiones ac iudicia præstolentur. Si vero hæc paruipendentes molesti fuerint imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus opperiri diiudicamus.

II. q. 5. Si quis a proprio episcopo.

XIII.

Nullus episcopus ex alia prouincia audeat ad aliam transgredi, & ad promotionem ministerii aliquos in ecclesiis ordinare, licet consensum videantur præbere nonnulli, nisi literis tam metropolitani quam ceterorum qui cum eo sunt episcoporum rogatus adueniat, & sic ad actionem ordinationis accedat. Si vero nullo vocante, inordinato more deproperet super aliquibus ordinationibus & ecclesiasticis negotiis, ad eum non pertinentibus, componendis; irrita quidem quæ ab eo geruntur existant, ipse vero incompositi motus sui & irrationabilis audaciæ subeat ultionem, ex hoc iam damnatus a sancto Concilio.

XIV.

Si quis episcopus de certis criminibus iudicetur, & contingat de eo comprouinciales episcopos diffidere, cum iudicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis existimatur, pro totius huius ambi-

Concil. Tom. 2.

OOOO

guitatis absolutione, sanctæ Synodo placuit vt metropolitanus episcopus a vicina prouincia iudices alios conuocet, qui controuersiam tollant, vt per eos, simul & per comprouinciales episcopos, quod iustum visum fuerit approbetur.

## XV.

Si quis episcopus, de certis criminibus accusatus, condemnetur ab omnibus episcopis eiusdem prouinciæ, cunctique consonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo iudicari, sed firmam concordantium episcoporum prouinciæ manere sententiam.

## XVI.

Si quis episcopus vacans in ecclesiam vacantem profiliat, sedemque peruadat, absque integro perfectoque Concilio, hic abiiciatur necesse est, etsi cunctus populus, quem diripuit, eum habere delegerit. Perfectum vero Concilium illud est, vbi interfuerit metropolitanus antistes.

## XVII.

Dist. 92. Si  
quis epi-  
scopus per  
manus.

Si quis episcopus per manus impositionem episcopatum acceperit, & præesse populo constitutus, ministerium subire neglexerit, nec acquieuerit ire ad ecclesiam sibi commissam, hunc oportet communionem priuari, donec susceperit coactus officium, aut certe de eo aliquid integra decreuerit eiusdem prouinciæ Synodus sacerdotum.

## XVIII.

Si quis episcopus ordinatus, ad parochiam minime, cui est electus, accesserit, non suo vitio, sed quod eum aut populus \* vitet, aut propter aliam \* veter.